

**Thesium medicarum semicenturia de pinguedine / [Johann Moritz Hoffman].**

**Contributors**

Hoffman, Johann Moritz, 1653-1727.  
Bruno, Jakob Pancraz, 1629-1709.  
Universität Altdorf.

**Publication/Creation**

[Altdorf] : H. Meyer, 1674.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kg822w53>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



*Q. D. B. V.*  
THESIUM MEDICARUM  
SEMICENTURIA

27

*De*  
PINGVEDINE.

*Quam*

PRÆSIDE

MAGNIFICO p. t. ACADEMIÆ  
RECTORE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo  
atq; Experientissimo*

DN. JACOBO PAN-  
CRATIO BRUNONE,

Phil. ac Medic. Doctore, hujusq; P. P.  
longè famigeratissimo,

*DN. Patrono ac Præceptore suo omni observantiæ  
& honoris cultu æternum devenerando,*

Publicæ & placidæ Philiatorum censuræ & venti-  
lationi submittit

*ad d. Novembr. A. M. DC. LXXIV.*

M. JOH. MAURICIUS HOFFMANN,  
Altdorff.

*AUTOR ET RESPONDENS.*

---

Typis Henrici Meyeri, Univers. Typogr.







# D. O. M. A.

## THES. I.



Um *Pinguedo*, quam exponendam nobis sumimus, latiori vocis acceptione sumtâ, variis apud Græcos insigniatur nominibus; non abs re esse videtur, si illa in limine statim præmittamus, ne aliqua in sequentibus confusio suboriri possit: Η γὰρ τῶν ὀνομαίων χρησις παραχθεῖσα, καὶ πλὴν τῶν πραγμάτων ὁπιταρχήσῃ γνώσιν.

II. Dicitur namq; *πμελὴ*, *σέαρ*, καὶ *λίπ* ἢ *λιπαρόν*, ἢ *λιπαρότης*, quibus apud Latinos similia respondent nomina: *Pinguedo*, *Adeps*, *Sevum* seu *Sebum*. Vid. *Casspar. Hofmann. Institut. Medic. lib. 1. cap. 130. §. 2. Jul. Jасolinus in Quæst. peculiar. Quid per pinguedinem & adipem intelligi debeat?* p. m. 6.

III. Et verò huic nominum diversitati res ipsa ansam præbuit; quæ enim Græcis *πμελὴ* vocatur, Latinis *Pinguedo*, humida quædam res est, oleo (ut cum *Jul. Jасolino* loquamur) longâ vetustate incrassato similis: *Adeps* verò pinguedine multo siccior est & durior; & sicut illa ad concrendum difficilior, promptior ad liquecendum, ita hic difficilior funditur, facillimè autem coit ac coagulatur. Hinc *Aristoteles de Histor. Animal. lib. 3. cap. 17.* ait: "ἐχει δὲ τὰ μὲν αἰμφορόντα, *πμελὴν*: τὰ δὲ μὴ αἰμφορόντα, *σέαρ*. Quæ parte utrâq; dentata sunt (scilicet quoad incisores, nam molares utrinq; ad sunt, teste *αὐτοψία* cujuslibet) *pinguedine*; quæ unâ, *adipe pinguescunt*.

IV. Nolunt tamen pleriq; Autores hanc verborum distin-



inctionem strictè adeò amplecti, id tantum discriminis observantes, ut illam quæ in abdomine exterioribusq; corporis partibus, *continentibus dictis*, copiosa adest, propriè pinguedinem; & adipem, qui Epiplo, Renibus, Mesaræo, Cordi &c. *ceu partibus contentis*, apponitur, appellare soleant. Vid. *Jul. Jасolinus l. c. Isbrandus de Diemberbroeck Anatom. Corpor. human. l. 1. c. 3.*

V. Nos pinguedinis vocabulo tanquam generali utemur, præprimis cum ipse *Galenus* hanc nobis indulserit licentiam; *Libro enim XI. simpl. cap. de Pinguedine* inquit: *Si voles, oleosam & pinguem in animalibus substantiam omnem adipem appellato, sed & pinguedinem totum hoc genus appellare licet. Si quis verò molliorem substantiam pinguedinem, duriorē adipem dicere malit, per nos æquum esto! Nolumus enim, cum ἀνεμβολογία hīc sit ἀκαίρη, & εἰ τῶν ὀνομάτων ἀμιλλᾶσθαι.*

VI. Est igitur Pinguedo pars corporis candida vel luteo albicans, unctuosā, in locis necessariis tantum abundans, ex sanguinis portionibus oleosis producta, & in membranosis sacculis seu locellis collecta concrescens, ac præter communem, quem toti corpori præstat usum, dum penetrabiles frigidi noxas excludit, immodicam interni caloris discussionem prohibet, formæq; venustatem exauget, peculiare partibus, in quibus luxuriat, utilitates afferens.

VII. Diximus in definitione esse partem; Siquidem quam *Galenus l. 1. Meth. med. c. 5.* partis descriptionem dat: *Τὸ μέρος ὅν πᾶν τὸ σῶμα συμπεληρωτικόν.* Pars est omne id, quod facit ad complendum totum corpus, optimo jure pinguedini competit. Nisi enim ad corporis complementum necessaria esset, cur quæso Natura, quæ juxta *Aristot. de Partib. Animal. l. 2. c. 13.* & εἰ ποιεῖ μᾶτην, tot Venas & Arterias pro vitâ, nervosq; pro sensu ipsi tribuisset? ὁ δὲ *Cass. Hofmannus l. 2. Instit. Med. c. 139.* Pinguedinem quoq; partibus accenset, si partem genericè accipiamus, prout *Hippocrates* fecit in divisione; εἰς ἰσχυρὰ, ἰσχυρὰ, καὶ ἐνορμῶντα, quamvis illam aliàs ex propriâ sententiâ inter excrementa utilia retulerit, in *Apolog. pro Galen. l. 2. sect. 5. cap.*



5. cap. 308. p. 312. *Daniel Sennertus Synops. Instit. l. 1. c. 3.* ipsam inter partes similes collocat.

VIII. Sunt tamen nonnulli, qui pinguedinem è partium numero rejiciunt, quod nec statim in formato, nec in nuper edito fœtu conspiciatur, audacter ita quidem asserente *Adriano Spigelio de humani corporis fabricâ. l. 8. c. 2.* Verùm laudatus *Spigelius* experientiæ vim infert, quæ *Viris* in arte *Anatomicâ* excolendâ studiosissimis, errore detecto benignior affulsi. Audiamus *Joh. Veslingium Syntagm. Anatomic. c. 1.* contrarium affirmantem: *Claustris uteri*, inquit, etiamnum detento fœtui innascitur, & in lucem edito densior copiosiorq; apponitur. *Veslingio* subscribit *Petrus Lauremberg. l. 1. Procestr. Anatom. c. 8.* qui in fœtûs cute pinguedinis rudimenta observavit, quamvis immaturior fuerit. *DN. Parenti meo*, filiali observantiâ colendo, eadem in fœtu recens nato *Patavi* & hîc *Altdorffii* dissecto, præprimis in dorso granulosa & glandulosa bis apparuit. Calculum suum hisce addit *Celeberrimus Thom. Bartholinus Histor. Anatom. rarior. Centur. 3. Hist. 25.* ubi narrat: In puellâ vix natâ & ab impiâ matre occisâ pinguedinem undiq; sub cute diffusam fuisse. Similem huic observationem idem recenset *Histor. Anatomic. rariorum Cent. 1. Hist. 14.* Quibus pro ulteriori confirmatione *Georgii Segeri* testimonium addi potest, quod depromit in *Dissert. Anatom. de usu Communium Corporis integumentorum. Sect. 2. Articul. 2. p. m. 16.* his verbis: *Mihî præterlapsis quoq; annis in puellâ post partum à matre crudeli ad plures missâ pinguedinem per universum corpus dispersam videre contigit. Nuper quoq; in catello leporino ex uteri claustris à me extracto glandulosa pinguedinis copia universum thoracem cum anteriori colli parte involvebat.*

IX. Et verò non desunt aliæ rationes pro confirmatione, pinguedinem partis nomen mereri, quarum prima est: quòd in locis necessariis tantum abundet, vid. *DN. Parentis Instit. Anatom. Diss. 1. Thes. 10.* ubi nempe insignem conferre solet utilitatem, ita ut nullam reperire liceat in cerebro, labiis, au-



ris parte superiori, palpebris, & seroto &c. hinc enim vel pondere inutili, vel superfluâ humiditate facile nocere potuisset. Altera, quod communi vitâ gaudet; id quod ad partis constitutionem necessarium esse docet **MAGNIFICUS DN. PRÆSES**, Patronus ac Præceptor meus atatem devenerandus in *Dogmat. Medic. General. Part. 1. c. 2. S. 5.* nec refert, cum nonnulli opponunt, quod insensibiliter modò crescat, modò absumatur; nam & muscoli per morbos insensibiliter deficiunt, & integro sanitatis vigore permanente, majus acquirunt incrementum, quis tamen propterea illos communi cum reliquis partibus vitâ gaudere negare vellet?

*X. Antonius de Marchettis, in celeberrimo Lycéo Patavino Anatomicus incomparabilis, Fautor & quondam Præceptor ac Chirurgus meus nunquam sine honoris titulo nominandus, ut nodum hunc felicius solveret, in Dissertationibus Anatomicis publicis semper monebat: Accuratè in pinguedine considerandum esse: 1. Contextum illum fibrosum, seu stamina per pinguedinem distracta. (Veslingius fibras villosq; membranulos oleosum spissamentum implicantes vocat) tum 2. particulas molliores contextui adnascentes: Stamina illa mox in formato foetu cum aliis partibus & ad mortem usq; semper adesse, particulas verò molliores subinde copiosiores apponi, aliquando verò ex morborum violentiâ non nihil absumi dicebat; nunquam tamen ita penitus deficere, ut non vel rude ipsorum vestigium supersit, id confirmante Th. Bartholinæo, qui in extremâ phthisi emaciatissimis corporibus pinguedinem quamvis parciolem invenit. vid. *Histor. Anatomic. rariorum Cent. 3. Histor. 2.**

*XI. Addidimus in definitione: Ex sanguinis portionibus oleosis produci, quæ quidem sententia apud plerosq; Autores, qui nomen suum inter ὀρευτῆς ἢ ἀληθείας professi sunt, hodie recepta est, jamq; olim Aristotelis & Galeni probata fuit: Ille enim de Partib. Animalium l. 2. c. 5. inquit; Ἀπὸ τοῦ δὲν ἔχει τῶν αἰμαίνων πικρὰν, ἢ πῶς ἑστάρ. "Ὁ δὲ αἷμα. Hic autem*  
*a. de*



2. de Temperam. 3. & 16. de usu partium, 2. expressis verbis docet, gigni pinguedinem ex sanguinis portione oleosâ sive pingui per tenues Venas effusâ. Cæcilium tamen Folius diversam obtinet sententiam: ex lactei enim succi seu chyli per Asellianas Vena a pancreas delati oleosâ substantiâ à mesenterii glandulis tractâ, quæ inde cuti, visceribus, ossibus & universo corpori communicetur, pinguedinem fieri vult; quæ autem pro refutatione hujus sententiæ adducuntur, videantur apud Bartholinum in Anatom. quamvis si Autor hoc de chylo cum sanguine dispensato intellexisset, probabilitatem aliquam obtinuisset.

XII. Et verò licet ferè omnes uno ore dicant fieri pinguedinem ex oleosâ sanguinis portione, concretionis tamen ratio apud illos non eadem exponitur. Adrianus Spigelius de humani Corpor. fabric. l. 7. c. 2. ait: Ut concreescere possit pinguedo, debet alicubi appellere, ne dissipetur: appellere autem debet non ad corpus quodvis, sed frigidum. Maxime ergò accommodatæ sunt membrana, quæ utramq; hanc conditionem observant, cum & ob densitatem oleosum hunc vaporem facile admittant, & ob frigiditatem facile condensent: Concrescit autem sic, ut ipsas membranas undiq; involvat, & in minimos quosq; poros sese insinuet, adeoq; per universam membranam pinguedo dispergatur, quod quivis, si quam in hac re vel levem collocare velit operam, facile adverterit. Nathan. Highmorus Corpor. human. Disquisit. Anatom. l. 1. c. 6. exemplo rem declarare nititur: Credit enim non secus membranis accrescere pinguedinem, quàm fuliginem caminis; quæ vi ignis in stipitibus accensi oleosæ ligni aut carbonum partes crassiores ac viscidiores rarefaciente per latera camini ascendens, amisso jam calore rarefaciente, iis adhæret & coagulatur. Ex frigore itaq; cujus vires minor præstat calor, pinguedinem concreescere volunt, cum enim calorem liquefaciat, frigus condenset necesse est: Cum quod calore liquefcit, per eundem non condensetur.



*XIII.* Quæ quidem omnia benè dicta sunt, sed si ipsam particularum oleosarum dispositionem paulò exactiùs consideremus, clariora forsan nobis apparebunt. Cum enim oleosæ particulæ tum sibi tum & aliis facilè cohæcant corporibus, concipiendæ sunt instar ramulorum quorundam sibi mutuò impositorum, qui ob lentorem suum facilè, ubi in loco aliquo colliguntur, moram trahunt, ita, ut missâ illâ controversiâ, an à frigore, an verò à calore concreascit pinguedo? causam efficientem concretionis dicamus esse, ipsam materiæ aptitudinem, quâ secedentibus partibus ipsam diluentibus, sponte coit ac spissescit.

*XIV.* Reliquum nunc est, ut quomodo particulæ illæ oleosæ intrâ membranosos lobulos seu sacculos (quorum in definitione mentio facta est) colligantur, dispiciamus: Hoc ipsum omnium optimè nobis explicavit *M. Malpighius* (cujus industriæ hac in parte multum debemus) qui institutâ sæpiùs Anatome accuratius in pinguedinis naturam inquirens, tandem observavit. Ubicunq; reperitur pinguedo, præcipuè circa cutem & in muscutorum interstitiis, ibi inveniri multiplices membranas sacculorum ad instar, & lobulorum excavatorum, quæ abstractæ cuidam membranæ, crassioritamen, velut basi & fulcimento adhæreant, per hanc propagari Venas & Arterias, quarum trunco à lateribus pinguedinis moles velut milii acervus accumulatur. *Vasa adeòq; sanguinea expandi*, notavit, *in ramos arborum ad instar*, quorum extremitatibus appenduntur membranosi sacculi seu lobuli, pinguedinosi globulis referti, qui velut folia ramis adnata arboris exactam figuram complent. Vid. *Exercit. de Omento, Pinguedine, & Adiposis ductib. p.m. edit. Bonon. 109.*

*XV.* Missis hisce loca quibus copiosior apponitur pinguedo, specialius designabimus. Prius autem notetur: Ubicunq; maximus ejus cumulatur proventus, in corporis habitu, mesenterio, mammis, ad inguina, &c: ibi quoq; glandulas luxuriare; Laudatus namq; *Malpighius* non semel vidit  
*in pin-*



in pinguedine sub cute locatâ glandulas carnosas muco & substantiâ subrubrâ intus refertas, circa quas plurimus aderat adeps seu pinguedo, exteriorem intrans membranam, rete pariter sanguineum, & adiposa vasa intimam glandula substantiam subintrans, ita ut probabile esse dicat, cum multum pinguedinis occupet glandularum intima, ex hujus saltem miscelâ demulceri acridinem feri lymphatici sive salivales, quod per peculiaris vasa à glandulis derivatur.

XV l. Inter internas Corporis nostri partes Omentum, Græcis *Ἰνδαλον* dictum, pinguedine refertum est, (in iis præsertim, qui aqualiculum alunt) quæ variis anfractibus nunc huc nunc illuc pro meliori vasorum fulcimento excurrit: ita ut nonnunquam incremento nimio sumto in fœminis sterilitatem inducere queat, sicut testatur Hippocrates Sect. 5. Aphor. 46. Quæ præter naturam crassa non concipiunt, iis uterûs os ab omento comprimitur, & priusquam extenuentur, non concipiunt. Verum cum uterus medio inter intestinum rectum & vesicam ab umbilici uracho suspensam habeatur loco, dubium meritò videtur Dn. Parenti meo in Expositione Aphorismor. Hippocr. recentiorum principiis ex sanguinis naturâ accommodatâ MS. quomodo omentum molliæ suâ pingui compressionem uteri moliri, & consequenter sterilitatem inducere queat? Hinc fere probabilius laxitate pingui nimia fibrarû & tubarum uterinarû robur solvi, & caloris vim fœcundam obtundi. Si enim compressio in culpâ esset, vesica potius noxam persentiret, nec urinam ullâ ratione fœminæ colligere possent: Peculiare pinguedini huic est, quod sit fœculenta & cœnosa, facillimè enim putredinem ex aeris externi apulsu concipit, vid. Thom. Wharton. Adenograph. c. 12. hinc docente Hippocrate Sect. 6. Aphor. 58. Si omentum exciderit, necessario computrescit. Præter omentum in puerperâ defunctâ peritonæum pinguedine copiosâ obductum vidit Gerardus Blasius in annotatis Practic. junctis Anatom. Hominis Brutorumq. variorum. p. m. 303.



*XVII.* Non minus externâ multâ pinguedine cinguntur *Renes*, & sinister magis quàm dexter, ita ut ex visceribus maximè pingues sint, teste *Aristotele* 3. *Histor. Animalium*. 17. imò in omnibus & in obesis præcipuè penitus sub adiperecondantur. Adnascitur autem hæc pinguedo non ipsi renum substantiæ (ut ita à vero alienum non sit proverbium: *Avaros esse renes, qui, circumfusâ pinguedine multâ, ipsi ne tantillâ utantur*) sed membranæ exteriori, adiposæ & renum fasciæ dictæ; cavum tamen renum intrat, dum expanso ureteri & pelvi copiosa substernitur, ut nimirum, docente ita *M. Malpighio* l. c. pelvis membranas & fistulas, quibus separatur urina, oblinat contrâ acredinem & falsedinem ejus, quæ continuo suo transitu non levem posset parere excoarationem. *Aristoteles* l. c. refert: oves renibus pingui undiq; obductis interire, idq; fieri pabuli ubertate, ut in *Siciliâ* agro *Leontino* accidere solet, quocirca sero diei ad pascua duci, quò minus pabuli capiant.

*XVIII.* Non leve hîc occurrit dubium, annon à renali hæc pinguedine aliquid vasis spermaticis communicetur? præsertim cum *Severinus* in *Zootomiâ* vas evidens à renali pinguedine ad vasa spermatica tendens in cane se observasse fateatur: Firmo enim talo stante hæc observatione, non absolum esset suspicari, oleosas pinguedinis portiones semini pro edulcoratione & faciliore excretionem addi: Theologi verò inde quoque suam confirmare possent sententiam, qui, dum in sacris dicitur: *Deum renes scrutari*, per renes pravas concupiscentias, & cupidinem rei Veneræ intelligunt; quamvis nos eorum verborum aliam interpretationem cum Anatomicis recipere malimus: nempe dum *Deus* dicitur renes scrutari, ejus omniscientia exprimitur, quâ occulta omnia cognoscit ac rimatur, ita ut ne renes quidem, qui non tantum in obesis, sed penè omnibus pinguedine occultati non apparent, ejus aspectum fugiant.

*XIX.* In *Liene* quamvis rarior conspiciatur pinguedo,  
*Vesica*



*Vesalius tamen l. 15. de human. Corporis fabricâ c. 9. In Cive quodam Patavino gibbae lienis parti adipem instar candidissimi & clarissimi lapidis annatam fuisse, recenset.*

*XX. Epar licet multarum rerum p. n. generatarum domicilium nonnunquam existat; Verrucis illud repletum fuisse Salmuth. l. 1. observ. annotavit. Calculos in ipsius parenchymate vidit Fallopius. Vermes hospitium in Epate sibi extruxisse, Wierus de Præstig. Demon. c. 16. scribit. Eosdem in leporum & ovium Epate semen cucurbitæ æmulantes observavit Dn. Parens, qui & annis superioribus in Cervorum jecore tam frequentes adfuere, ut multis in vicino Marchionatu & Palatinatu necem attulerint, nullus tamen autor (cujus ego quidem meminerim) pinguedinis hîc aliquando obviæ mentionem fecit.*

*XXI. Pulmones naturalem servantes constitutionem pinguedine quoque fere destituuntur: Thom. Bartholinus tamen in Viro quodam ex vulnere mortuo, inter pleuram & sinistralateris pulmones magnam pinguedinis copiam ab axillis dependentem, ordineq; longo secundum rectum thoracis situm dispositam, ac pulmonibus impositam observavit, vid. Histor. Anatom. rarior. Cent. 2. 15.*

*XXII. Cor ἀκρόπλις εὐφύλακτον adipe nonnunquam adeò involvitur, ut minus peritis Anatomicis imposuerit cor abfuisse; hincq; est, quod aruspices immolante C. Cæsare in tauri opimi extis Cor defecisse existimaverint; quis enim credat, (ut cum Spigelio loquamur,) bovem excordem vixisse unquam? cùm animalium sanguineorum principium organicum sit Cor, à quo omnia dependent, & docente Philosopho de Partib. Animal. l. 3. c. 6. Cor & jecur omnibus animalibus necessaria sint, nullumq; sanguine præditum eis, scilicet propter dispensationis necessitatem, carere possit.*

*XXIII. Frequentius tamen pinguedo in sacculis ad Cordis basin, ubi est exortus & propagatio fibrarum, ex quibus componitur Cor, colligitur, rarius in ipsis ventriculis conti-*



metur, nec defunt tamen Auctorum testimonia hoc affirmantia: *Jul. Jafolin. in Epistolâ de Cordis adipe, ad Job. Antonid. Pisanum* scribit: *Sæpe vidisti dissectis Cordis ventriculis, in ipsorum cavitate frustula quadam, portiones acramenta adipis à nobis observata ac reperta, ita ut magis mirum sit, quomodo is ibi concreseat, atque supra Cor ipsum.* Calculum surum addit *Thom. Bartholinus Observ. Anatom. rarior. Centur. 1. Histor. 5.* qui in cadavre virili boni habitus & robusto inter alia singularia invenit in sinistro cordis ventriculo tria frustula adiposa lenta & candicantia. *Vid. ejusd. Centur. 5. Histor. 7.* Quibus meam liceat adjungere observationem, quam ipsa mihi suggessit *aviscia*: Cum enim effluxo hujus anni jamdum mense Februario Patavii cadaveris virilis præparationibus publicis adessem, in cordis ventriculis, quorum fibræ ferè ossæ existebant, pinguedinem lentam viscidamq; conspexi plurimam: Ubi insimul hoc notatu dignum occurrebat, quod Venæ Cavæ principium in dextram hians auriculam, ossæ duritiem occasione fortè consistentis massæ acquisiverit.

*XXIV.* Jam verò cum pinguedo hæc (si libet, adipem dicas) circa Cor obvia, in loco ob perpetuum sanguinis copiosissimi comineatum calidissimo, absq; liquatione & consumptione persistat, meritò dicendum: Primò ipsam ex fixioribus partibus omnem caloris impetum eludentibus compositam esse: ut ita aliqualem rationem reddere liceat, cur Cor Germanici Caesaris (quod *Plinius l. XI. Natural. Histor. c. 37.* testatus est,) cremari non potuerit? Ob hujus enim pinguedinis fixitatem ignis viribus resistentem hoc forsan accidit. Secundò: Aquam in pericardio contentam & Cor continuo alluentem, per humiditatem suam calorem nimium extinguentem, liquationem impedire. *Jul. namq; Jafolinus* in hujus veritatem inquirens, experimento facto, adipem hunc igni ad liquandum imposuit, & ecce per notabile spatium insignem strepitum audivit, eodem modo, ac si oleum aquâ permixtum esset.

*XXV.* Tandem & pinguedo Musculis sese associat, & non tantum



tantum exterius iis supersternitur, sed & profundas fibrarum intercapedines alte penetrans per intima musculorum propagari videtur. Musculos oculorum præprimis molli complectitur ambitu, & ita investit, ut oculos globosâ hac pinguedine obductos illis carere Anatomia ignarus juraret.

*XXVI.* Cumq; in homine inter cutem & panniculum carnosum intercedat pinguedo, impedit, quò minus cutis in toto corpore corrugari possit, quod fit in fronte, ubi panniculus carnosus immediatè subjacet cuti. Eadem ratio est in brutis, dum enim tertium in hisce pinguedo occupat locum, & panniculus carnosus proximè cuti contiguus est, illam in singulis corporis partibus contrahere norunt: Sic de Elephantis Physici referunt, ipsum complicando cutem muscas, inexpleriles sanguinis & succi nutriticii parasitas omnes ex æquo infestantes, enecare.

*XXVII.* Ordinis ratio nunc jubet, ut *Usus* pinguedinis, quem multiplicem præstat, paucis velut in tabulâ repræsentemus: Qui cum *vel respectu habito ad totum corpus*, sit communis, *vel ad partes*, particularis variusq; existat; primò illum, postea hunc quoque considerabimus, ac coronidis loco effectus, quos à diversorum animalium pinguedine in Medicinâ expectare possumus, paucissimis subjungemus.

*XXVIII.* Celebrerrimus Anatomicorum *Vesalius de human. Corpor. fabric. l. 2. c. 5.* pinguedinî inter cutem membranâq; collectæ eum usum assignat, quem vesti carniq; simplici tribuimus: *ut Corpus scilicet calefaciat frigoris tempore, & si Soli homo exponatur, vestis quoq; modo refrigeret, calorem, quo minus penetret, inhibens*; Illud quidem præstat, dum mollis straguli instar corpori incumbens, pororum cutaneorum more se constringit, sicq; internum partium calorem fovendo, penetrabiles frigoris noxas excludit: Hoc verò efficit, dum oleoso suo spissamento per poros cutaneos jam apertos æstuantem aërem copiosè irruentem remoratur, ne ad interiora admissus concitatiores in sanguine motum,



indeq; fervorem nimium inducat; hacq; ratione quamvis refrigeret, simul tamen etiam interni caloris immodicam discussionem & dissipationem præcavet, arte in hoc naturæ solertiam imitante, quæ tenuibus spirituq; plenis liquoribus necitò nimis exhalent, olei tantillum addit.

XXIX. Calidas prætereà ficasq; partes humectat pinguedo, ut dicit *Galenus 16. de Usu partium. 2;* ne à calore ex frequentiori motu, diversoq; rerum nonnaturalium usu adaucto adurantur vel exsiccentur, sicq; functionibus, quibus à naturâ destinatæ sunt, obeundis ineptæ reddantur. Utrumq; humidâ suâ visciditate, & unctuosâ lubricitate præstat, illa enim à calore adurente, hæc à motu exsiccante partes defendit; & ob eandem fortasse causam nonnunquam œsophagi & laryngis muscoli copiosâ investiuntur pinguedine, ut inductâ lubricitate expeditior contingat motus.

XXX. Tandem formæ venustatem corpori conciliare censetur, dum spætia inter musculos cutem & vasa vacua implet, gratamq; cuti æqualitatem inducit, ne asperis sulcosa rugis aut ossibus prominentibus deformis appareat, prout hoc quotidie in vetulis ac extremâ tabe consumtis vel ad nauseam usq; videmus.

XXXI. Quod verò nonnulli afferunt, tempore inediæ in alimentum partium rursus cedere pinguedinem, & sicut antea vaporis specie ex Venis exciderit, ita postea in Venas redire, ac in sanguinem mutari, affirmare nolumus, cum rationes hanc opinionem rejicientes clarissimæ adsint, quas *Higlmorus in Disquisit. Anatom. l. 1. c. 6.* contra *Baubinum* profert. Licet enim concedamus à calore pinguedinis colliquationes fieri, illa tamen colliquata in ventriculum non confluit, proindeq; nec in chylum nec in sanguinem mutatur: Deinde si in sanguinem rursus remearet (quod valde improbabile est, cum natura à posterioribus ad priora non soleat reverti) pro alimento cujusvis partis haberi non posset, nullæ enim eâ nutrentur, sed ut excrementum à reliquo ali-



alimento separaretur; porro cum in inedia dissipatio & coliquatio accidentalis sit, ex naturæ instituto non sequitur, ut in reliquarum partium substantiam mutetur. Hæc de Comuni Pinguedinis usu dicta sufficiant.

XXXII. Age paucis quoq; commoda particularia, quæ pinguedo partibus quibus jungitur distribuit, videamus. In Omento, cum illud levibus sit constructum membranis, pinguedo prope Venas & Arterias consistit, ut tutelæ loco sit vasis, quæ externis quamplurimis periculis erant obnoxia, sed maxime compressioni & ruptioni in Ventris repletionem & pluribus corporis motibus. Thom. Whartonus Adenograph. c. 12. in Hypochondriacis & Scorbuticis pinguedine absumtâ omentum nigricans, lateratum friabile & fere putridum observavit.

XXXIII. In Renibus cui usui à Naturâ destinata sit, Philosophus 3. de Partib. Animal. c. 9. exprimit his verbis: "Ενεκα σωτηρίας καὶ τῆ θερμῆς εἶναι τὴν φύσιν τῶν νεφρῶν salutis causa, ut caleat substantia renum. Addit porro: ἔτι δὲ ἀλατῶσι καὶ πύλῃσι τὴν ὑγρότητα μᾶλλον πίνουσι ὄντες. Τὸ γὰρ λιπαρὸν θερμὸν. Πένεται δ' ἡ θερμότης. quin etiam secernunt & coquunt humorem melius, siquidem pingues fuerint: pingue enim calidum: coquit autem calor. Verum cum urina solâ percolatione fecernatur, dum enim ex Arteriis emulgentibus ad Venas emulgentes sanguis properat, serum intercipitur ob transitum impeditum ad ureterum tubulos colligendum, frustra in renum carnibus ob præsentiam pinguedinis fingimus & nobis imaginamur coctionem à calido; imò potius Joh. Antonid. van der Linden sententiam sequimur, quam proponit Medicin. Physiologic. l. 2. Artic. 7. c. 5. §. 135. p. 125. pinguedinem nempe vices in renibus gerere mollis straguli, cum incubatu ipsis molli opus sit, ut ne lumborum attritu doleant, & temperare potius humectatione perpetuâ calorem ipsorum, simulq; præservare ab ardore, autore difficilium malorum, in hunc enim renes proclaves sunt propter arteriarum copiam, substantiæ densitatem, seri  
falsu-



*salsuginem, deniq; labores musculorum, quibus incumbunt. Vid. quæ th. 17. dicta sunt.*

*XXXIV. In Corde pinguedinem à Conditoris providentiâ adesse dicit Cassp. Hofmannus l. 2. Institut. c. 130. quæ ideò intra terminos suos consistit; & quidem 1. quæ exterius adnascitur, genita videtur propter finem, ne Cor ob continuum motum exsicceretur, ad quem perpetuò tuendum & conservandum adjuvent oportet aliqua munimenta, ne ex nimia illâ concitatione quidpiam incommodi perpetiatur Cor. Sic igitur contrâ caloris majoris & acutioris impetum intrinsecus & extrinsecus instructum fuit: intrinsecus intextæ fuere fibræ velut funiculi è latere ad latus distenti, extrinsecus vero addita est pinguedo, quæ ut dictum, humectando Cordi robur addit, ne Viscus nobilissimum ob continuam agitationem flaccescat aut deficiat.*

*XXXV. Quæ verò 2. nonnunquam in ipsis Cordis ventriculis asservatur, fibras si à calore excedente p. n. induratæ fuerint, emollit, ut facilius pro systole & diastole efficiendâ contractionem vel distensionem admittant; in quâ sententiâ me confirmavit observatio propria Patavii habita, quam supra th. 23. attuli: In illo enim Sene, cujus Cordis ventriculi pinguedine referti erant, fibræ ventriculorum imprimis sinistri in osscam coiverant duritiem, hinc singularis naturæ prudentia pinguedinem præsentem volebat copiosam, ut quantum necessarium esset, illas flexiles cordisque imperio obsequentes redderet.*

*XXXVI. Alium pinguedini huic in Corde usum tribuere nolumus, nec enim assensum præbemus opinioni affirmantium illam flammæ vitali pabulum suggerere; quis namq; credat, tam paucum flammæ vitalicum spirituum volatiliū dispendiō sese diffundenti, perpetuò avolanti, inq; natalibus suis pereunti, sufficere? Animus adhæc dubius redditur: quod 1. in ætate juniorum Corde aut nulla ὡς ἴσθι το πολύ, aut certe pauca adsit, in quibus nihilominus calidum multo*



multo maximum ; Certè illa, quæ crescunt ex 14. *Aphor. Sect. 1.* plurimum cum habeant calidi, plurimo etiam indigeant alimento, pinguedo (si pabuli loco necessaria esset) copiosissima requireretur. 2. Quamvis in plurimis animalibus observetur adipea hæc Epicardia substantia (ut loquitur *Jasolinus*,) in omnibus tamen illam reperire non suppetit. 3. Si esset alimentum commodè deberet applicari alibili objecto, & ita major ejus quantitas in ventriculis Cordis, quos sanguis semper transit, colligi deberet, sed rarò admodum hoc evenit. 4. Nulla pars circumscripta Corporis alteri tanquam nutrimentum inservire potest; cum igitur pinguedinem partem esse constet, utique nec Cordis nec alijs partis alimentum erit.

*XXXVII.* Musculorum interstitijs sese insinuasse videtur pinguedo, ut & ipsos contrà nimiam defenderet siccitatem, gratamque in corpore æqualitatem efficeret; & speciatim musculis oculorum copiosa interponitur, ut cum ipsorum bulbi membranacei tenerimæ sint constitutionis, opportunum adversus exsiccationem frigorisque vim præsidium præbeat.

*XXXVIII.* Adhæc *Mammarum* substantiæ, cum hæc compages quædam candicantium glandularum sit, multa intertextitur, scilicet ad conciliandum ipsi calorem quidem blandum intus, foris autem amicam cum æqualitate mollietiem. Solæ enim glandulæ ex se duriores sunt, & propter magnitudinem multitudinemq; variam inæquales, ut ita mammæ, si illis solis constarent, pectori ornamento non essent. Vid. quæ suprâ §. 15. de glandularum & pinguedinis consortio attulimus.

*XXXIX.* Agedum promissi nostri memores telam, quam attexendam nobis sumimus, perficiemus, & breviter *Remedia*, quæ pinguedinis diversæ species in Medicinâ afferunt, annectemus. *Pinguedo* itaque *humana*, cui primas damus, laterum articulorumq; doloribus mitigandis, capillis deflu-



entibus servandis, atq; obliterandę cicatricum deformitati ut plurimum profuit, ceu testatur *Joh. Vesling. Syntagm. Anatom. cap. 1. Vesalius de human. Corpor. fabric. l. 1. c. 39. pinguedinem omnem, quę in coctione ossium supernatare solet, vel vulgi solum nomine asseruare suadet, quod illi in obliterandis cicatricibus & nervis tendinibusq; producendis multum tribuat.*

*XL. PINGUEDO Elephantis omnium ferarum venenis resistit. Ælian. l. 1. de Animalib. cap. 37. Θηρίων δ' ἀλεξιφάρμακον ἦν ἄρα πάντων πιμελή ἐλέφαντος* ~: hęc inunctos etiam si nudi contrā atrocissimas belluas confligant, illęfos discedere ajunt.

*XL I. Apri ad laterum dolores leniendos insignis virtutis esse creditur: nonnulli illam recipiunt, & cum pulpā pomorum unguentum seu pomatum ( uti vocant ) conficiunt, quod pro foveis ex variolis relictis delendis secreti loco adhibent. Singulare huic pinguedini est, quod in Veneris cęstro turgentibus masculis ante Solstitium hyemale optimi saporis habeatur, effluxo illo per Venereum ardorem in lentam viscidamq; mucaginem inspidam degeneret, ex Observatione Dn. Parentis.*

*XL II. Bovis, præsertim quę ad renes colligitur, mor- dicationi intestinorum & tenesmo non imi momenti auxilium affert. Labia rimis hiantia hęc illita coalescunt.*

*XL III. Canis, ad podagricos auriumq; dolores demulcendos commendatur: Ingreditur compositionem Unguenti Nervini; immanem adhęc scabiei pruritus obtundit, si partes affectę eā inungantur. Internē in phthisi & cruore ex casu dissolvendo adhibetur. Similem ferē virtutem Capra alpina pinguedo obtinet.*

*XL IV. Castoris, nervoso generi peculiariter convenit, hincq; in morbo Comitiali, Apoplexiā, membris resolutis, convulsis, miris de prædicatur laudibus. Utero quoque amica est; eaque ratione æqualem cum pinguedine caprinā laudem meretur, quam commendat Hippocrates lib. de super-  
feta*



*foetatione* - quod ad emolliendum os uteri item dolorem ejus ex partu compescendum magni sit usus.

*XLV.* *Cervi* insignis præ aliis efficaciam est in tumoribus molliendis, & pernionibus sanandis. Sunt aliqui, qui ipsam pro vulneribus adstringendis, labiisque; ad mutuum contactum adducendis adhibent: Usurpatur quoque pro unguento ad membragelu perusta, conficiendo.

*XLVI.* *Cochlearum*, in elixato brodio, ubi id refrixerit, supernatans, oculorum rubedinem doloresque; tollit, (quod *Serpentum* quoque; pinguedo præstat) fronti cum ovi albumine imposita defluxiones ad oculos intercipit.

*XLVII.* *Leporis* extrinsecus applicata, maxime si per longum tempus asservata fuerit, tantam pollet attrahendi vim, ut vel spicula cuti infixæ eliciat. Partum promovet. In confinio aurium inuncta, dentium dolorem mitigat.


*XLVIII.* *Suis*, cum minorem calefaciendi vim possideat, ideo Unguentis refrigerantibus additur, v. g. Unguento nihili ad oculos, unguento *Populeo Nicolai*, unguento *Rosato Mesue*, &c. Lumborum quoque doloribus juncta cum cinere straminis fabacei aut calce præstò est. Cataplasmatibus, quæ ad phlegmonas exiguas & aliquando duras applicari solent, admiscetur in teneris præsertim corporibus, *Galen. lib. ix. de simpl. med. facultat.*

*XLIX.* *Taxi* renum confinio inuncta ipsorum doloribus è calculo subortis, contracturis ac artuum imbecillitatibus certissimum fert præsidium, maxime si cum adipe vulpis misceatur, qui nervoso generi amicus existit, denique ad convulsiones tremoresque; curandos laudatur.

*L.* *Ursi* medetur doloribus arthriticis. Mulierculæ ipsam in herniâ uterique; prolapsu dorso sive ossi sacro illinunt. Recipitur ad compositionem *Unguent. Areg. Nicolai*. Quod si quis cygneum pilis inducere velit colorem, hæc illos inungat, pilis enim albedinem conciliat, pernionibus subvenit juxta *Dioscorid.* Et hæc de *Pinguedinis Naturâ Usuque* vario dicta sufficiant,



plura enim ut addam, nec temporis nec instituti ratio permit-  
tit, quamvis multa adhuc consideratione digna superesse, u-  
trâq; manu largiar. Tu interea, B. L. ea quæ minus ἀνεξέχως,  
sed παχυλῶς & rudi Minervâ à me dicta sunt, pro humanitate  
& benevolentia Tuâ corrige. Si erravi, ignosce. Meliora  
enim, favente Numine, maturescentibusq; studiis & annis  
dabimus meliores!



## COROLLARIA.

I.

*Malè in ulceribus curandis olea & pinguedines adhibentur.*

II.

*Aqua pericardii non tantùm per vasa Lymphatica, sed & per pecu-  
liarem canalem ex ductu Thoracico in capsulam Cordis deriva-  
tur; sicut in Equâ observare licuit.*

III.

*Sinon impossibile, certè improbable est, ossa pubis in partu à se in-  
vicem divelli.*

IV.

*Semen non in testibus, sed Epididymidibus elaboratur.*

V.

*Medulla ossium pinguedini quamproxime affinis est, certisq; sedibus  
per osseas reticulatas expansiones distincta, prout in grandioribus  
animalibus cernere licet.*

---

**I**ngenium HOFFMANNI deduxit Apollo per artes,  
Linguarum & variis imbuat ora favis.  
Jamqué Machaoniis studiis orare laborat,  
Esse sibi Musæ quod voluere suum.  
Qui Charitas Phœbo conjungere nititur, illum  
Haud Medicæ Charites deseruisse queunt.

*Ingenii felicitati sua divissimi sui DN. M. HOFF-  
MANNI parem in arte Medica fortuna  
nam precatur*

JOH. CONRADUS DÜRRIUS P.P.

F I N I S.